



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

V. Cæteræ probationes verioris sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

essentialiter non respicit, ut nos enititur, aut facta conuersione chimæ in creaturam possibilem non maneret, ac proinde cum chimæ conuenitur, quod aduersarij renuunt.

CAPVT V.

Cetera probationes verioris sententia.

32.

Arguuntur tertio. Possibilitas creaturæ in vnico tantum euentu manere potest, videlicet in euentu, quo Deus maneat: igitur ut Deus sit magis necessarius, quam est necessaria creatura possibilis, debet in duplici euentu permanere, scilicet in euentu, quo possibilitas maneat, & insuper in euentu, quo illa deficiat per impossibile: at Deus non posset, nedum necesse haberet, permanere in duplici illo euentu, nisi à creaturis possibilibus esset absolutus, & ad eas transcendentaliter non relatus: ad eas ergo ita minime refertur. Quod autem Deus sit magis necessarius, quam creatura possibilis est necessaria, suadetur primo ad homines: quia, iuxta aduersarios non paucos, quoties vna necessitas oritur ab alia, ea est maior, à qua ducit originem altera, iuxta illud Philosophi, propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale: at creatura possibilis quatenus necessario possibilis, & non implicans contradictionem oritur à Deo, cum primum ens sit: magis ergo necessarium est, Deum esse, quam creaturas posibles esse, quando, ut dictum est, posterior hæc necessitas ab illa priori ortum habet, non è contrario. Rursus absolute probatur id ipsum: quia Deus est magis ens, quam creatura possibilis: tum quia est verior, & melior creatura possibili: maior autem veritas, & bonitas ex maiori oriuntur entitate, sicut veritas & bonitas simpliciter sumptæ proficiuntur ex entitate simpliciter tali: tum quia est maioris perfectionis, quam creatura possibilis: perfectio autem cum entitate per identitatem coheret: tum denique, quia negari nequit, vnum ens alio esse maius: idque perspicue docuit Aristoteles 4. Metaphys. cap. 4. text. 18. ibi: *ipsum magis, & minus inest rerum naturis*, nec non B. Thomas 1. p. q. 2. art. 3. at si qua entitas alia maior est, ea certe est, qua Deus potitur comparatione illius, quæ creaturæ competit. Tum sic: Deus est magis ens, quam creatura possibilis: igitur est magis possibilis, siue aptus, aut non repugnans esse, quam creatura possibilis, cum ratio entis consistat in possibilitate, & aptitudine essendi: igitur est magis impossibilis quoad non esse, quam creatura possibilis, cum possibile esse idem sit, ac non possibile, siue impossibile non esse; sicut actu dari esse alicuius rei est non dari eius non esse, ut apertissimum est: igitur est magis necessarius, quam creatura possibilis, cum necessarium esse aliud non sit, quam impossibile non esse.

33.

Confirmatur, & declaratur superius argumentum: quia si Deus cum possibilitate creaturæ conueniret essentialiter, cum possibilitas creaturæ è conuerso cum creatore essentialiter connexa sit, iuxta ea, quæ superius diximus, sanè Deus, & creatura possibilis æqualis forent necessitatis, ac proinde horum extremorum neutrum alteri necessitate præstaret: tum quia in nullo

euentu alterutrum deficere, aut manere sine altero posset ob mutuam, & reciprocam eorum connexionem: quomodo ergo non essent æqualis necessitatis: tum etiam à posteriori, quia qualibet diuinarum personarum æqualis cum altera necessitatis est, ob mutuam, alternamque connexionem, qua sunt inseparabiles inuicem. At quod consequens sit absurdum, & possibilitas creaturarum haud sit tam necessaria, à diuina essentia, & existentia paulò superius demonstratum est. Confirmatur iterum idem argumentum: quia negari nequit, quin maior veritas, magisue necessaria sit, Deum esse, quam creaturam possibilem esse, ut iterum, atque iterum positum est: maior autem veritas, siue magis necessaria cum minori connexionem non habet; aliàs æquales non essent: ergo Deum esse suapte natura, & essentia non postulat, creaturam possibilem esse, nec cum huiusmodi possibilitate conuenitur.

34.

Postquam rationibus communibus nouam, & peculiarem lucem adhibuimus, operæ pretium erit, ut nouas etiam rationes addamus, quæ minus rem demonstrent, saltem valde probabilem efficiant. Itaque arguuntur quarto in hunc modum. Nequit dari in Deo essentialis adhesio affectiua alicui obiecto, quod simpliciter infinitum non sit: igitur etiam ei repugnat essentialis adhesio physica, siue adhesio inseparabilitatis alicui termino, qui simpliciter infinitus non sit: creatura autem possibilis simpliciter infinita non est: ac per consequens adhesio physica inseparabilitatis, seu relatio ad illam Deo essentialis esse nequit. Antecedens cum innumeris Theologis suppono, qui Deum non necessario, sed libere amare creaturas posibles tuentur. Confirmatur, & declaratur: necessaria adhesio affectiua obiecto finito manifestam imperfectiorem arguit: qua ratione bruta rationis expertia imperfecta sunt, quia in voluptatem, aut commoditatem finitam eis propositam necessario feruntur, quin ab ea diuelli possint: igitur necessaria, & quod plus est, essentialis adhesio physica, siue inseparabilitas cum imperfectione Deo repugnanti coniuncta est. Nec valet, creaturas posibles quatenus tales à Deo indistinctas esse, ac proinde Deum sibi ipsi, & nõ alteri essentialiter adherere, quatenus cum possibilitate creaturarum connexus est: hoc, inquam, momentum non est, quemadmodum enim Deo necessarium, & essentialiale esse nequit, quod creaturas amatas per se ipsum denominet, eo quod earum perfectio finita, & limitata sit: pari ratione Deo essentialiale esse nequit, quod eas posibles per se ipsum denominet; siquidem earum perfectio finita est.

35.

Argumentor quinto: quoties aliqua virtus est essentialiter productiua alicuius termini infiniti, nequit esse essentialiter productiua vllius termini finiti: at natura Diuina respicit essentialiter in actu primò Verbum simpliciter, & in omni genere infinitum, necnon Spiritum Sanctum: eorumque est productiua mediante Paternitate, & relatione Spiratoris, & in ordine ad eos ferax, & diffusiva sui: ergo non respicit essentialiter in actu primò creaturam, quæ finita, & limitata est; nec præcisè per se ipsam sumpta est eius absolute productiua, sicut ad relationem transcendentalem oportet. Maior probatur: quia Deus non obstante summa illa inclinatione,

tione, quam ad se communicandum habet, non habet necessitatem se in actu secundo communicandi alicui creaturæ finitæ, eamque producendi, quia nimirum respicit essentialiter in actu secundo terminum simpliciter infinitum, quem actu producit, cuique necessario se communicat: ergo similiter quoties virtus aliqua in actu primo terminum infinitum essentialiter respicit, ita eo adæquatur, ut alium finitum in actu primo essentialiter non respiciat, nec ad eum dicat ordinem transcendentalem. Idem argumentum, & fortasse clarius confici potest in ipso attributo diuinæ omnipotentia, si præter virtutem producendi ad extra comprehendit sub se indiuisibiliter potentiam generandi, & spirandi ad intra, ut censent Marfilii, Ferrariensis, B. Thomas, Argentina, Aegidius Romanus, & Canariensis apud P. Valquez tom. 2. in 1. p. disp. 165. cap. 1.

36.

Argumentor denique sexto: ad perfectionem diuini intellectus simpliciter simplicem, eique essentialem non spectat, ut cognoscere possit absolute creaturas esse possibiles: similiter ergo ad perfectionem diuinæ omnipotentia simpliciter simplicem ideoque essentialem, ac necessariam non spectabit, ut creaturas possibiles producere absolute possit; ac proinde ad eas non habet ordinem transcendentalem. Antecedens suadetur: in rebus necessariis inseparabiliter idem sunt, esse, ac posse esse: scientia autem simplicis intelligentia, siue possibilium cognitio est necessaria simpliciter: ergo inseparabiliter idem sunt cognoscere possibilia, & ea posse cognoscere: at ad perfectionem diuini intellectus Deo essentialem non attinet, quod possibilia absolute cognoscat, sed quod si possibilia sint, eum non lateant, sicut Deo essentiali non est, ut futura per scientiam visionis absolute cognoscat, sed quod si futura sint, eum non fugiant: igitur ad perfectionem essentiali diuini intellectus non pertinebit, ut possibilia cognoscere absolute possit. Consequentia autem principalis argumenti nostri videtur sine ullo discrimine: sicut Deus est necessario intellectuius ad extra, cum tamen hæc absoluta necessitas non præcisè ex perfectione Deo essentiali, sed insuper ex rebus ipsis possibilibus, earumque, possibilitate proficiscatur; cur obsecro, non poterit esse absolute, & necessario productius ad extra, quin hæc absoluta necessitas ei essentialiter, & intrinsecus adueniat, sed extrinsecus à non repugnantia possibilium? Præsertim cum intrinseca, & essentialis connexio inter Deum, & possibilitatem creaturarum haud sit adstruenda sine virgensi fundamento: quia ratione vel ipsi aduersarii docent, ne inter res creatas ponendam esse summam connexionem temerè, & absque efficaci aliquo fundamento, ideoque nec materiam cum existentia formæ substantialis, nec subiectum quantum cum quantitate, si hæc ab eo distinguitur, aut è conuerso connecti essentialiter, sed potius posse saltem diuinitus inuicem separari. Quod autem in præsentem nullum sit virgens fundamentum adstruendi connexionem summam, & essentiali inter creatorem, & creaturas possibiles iam patebit solutione argumentorum, quæ communiter obijci solent in contrarium.

CAPVT VI.

Fit satis quibusdam argumentis aduersus nostram, ac veriore sententiam.

Deum referri transcendentaliter ad creaturas possibiles, & cum earum possibilitate essentialiter esse connexum communis est Thomistarum opinio: præsertim vero id tuentur Bannez, Caietanus, Aluelda, Nazarius, & Torres apud nostrum Georgium Hemelman volum. 2. in 1. part. tit. 8. disp. 1. cap. 2. In eadem sententia sunt apud eundem ex nostris Valentia, Tannerus, Zunniga, Arriaga, Suarez, Fasolus, Herice, quam hi tres posteriores in modo loquendi dissideant, & connexionem Dei cum creaturis possibilibus appellare nolint relationem transcendentalem. Id ipsum propugnant absolute quidem, & absque ullo etiam quoad modum loquendi discrimine Granadus, Ruiz, Compton, Salas, Meratius, Martinon, Franciscus Amicus, & Franciscus de Lugo, alique Authores nostri.

37.

Pro qua sententia aduersus nostram, magisque probabilem sententiam argues primò in hunc modum. Deus secundum se, & prædicata sibi essentialia, & quidditatiua sumptus est absolute potens producere creaturas: ergo & cum iis essentialiter connexus, ad easque transcendentaliter relatus. Id suadetur, quia si non esset per se ipsum essentialiter potens producere creaturas, maxime quoniam ea denominatio esset in eo ab æterno à possibilitate, ac non repugnantia intrinseca creaturarum, veluti in genere causæ formalis: at huiusmodi æterna possibilitas, & non repugnantia intrinseca creaturarum est impossibilis, & repugnans: ex ea enim fieret, essentialiam distinguere realiter ab existentia, item aliquid à Deo distinctum existere ab æterno, nec non quidpiam esse ens per denominationem extrinsecam ab alio, nec non ipsummet prædicatum talis possibilitatis esse simul, & non esse à se; quæ aperte sunt contradictoria, & absurda: quod autem sequantur, constat ex dictis supra cap. 2. Verum respondeo, ea non sequi, ut à nobis clarè ostensum est eodem cap. 2. Quare antecedens argumentum falsum est, nec minus falsa, & neganda minor propositio, qua probatur.

38.

Aliter etiam responderi potest ad idem argumentum, & quidem satis probabiliter; licet possibilitas, ac non repugnantia creaturarum merè possibilium non detur ab æterno secundum aliquid esse positium, & physicum à Deo distinctum, ut hoc aduersarii disputandi gratia largiamur, tamen eam ab æterno dari secundum esse intentionale sibi extrinsecum, & se habens ex parte diuinæ mentis, quatenus nimirum à Deo semper cognita est, in eiusque mente, & intellectu latuit. At Deus per hanc cognitionem sibi quodammodo contingentem, erit ab æterno potens producere creaturas: non est igitur, cur hæc denominatio absolute potentis Deo essentialis esse debeat. Quod forte voluit Scotus in 1. dist. 48. quæst. vnic. ubi sæpissimè doctrinam nostræ solutionis insinuat, & præsertim sequentibus verbis ibi: *potentia actiua, qua Deus dicitur omnipotens, non est formaliter intellectus, sed quasi præsupponit*

39.